

quid conabor aliud, quàm ostendere, te non habuisse causam, quàm mihi succensere deberes? Sed cum id in te magis diligam, quòd de mea reticentia es dignatus offendi, quam inter tuas curas nihil momenti habere credideram, causam meam deseram, si me purgare contendero. Si enim indignari non debuisti, quia non ad te scripserim, nihil me pendis, qui, loquarne, an taceam, indifferenter feras. Porro quia me tacuisse molestè tulisti, indignatio ista indignatio non est. Non itaque tam doleo, me non praeuisse, quàm gaudeo, te nostrum desiderasse sermonem. Nam veterem amicum, &, quòd abs te taceri, sed à nobis oportet agnosci, talem ac tantum virum in peregrinis positum, curisque publicis laborantem, quòd memoriæ fuerim, honori mihi est, non mœrori. Ignosce igitur agenti gratias, quòd me indignum non putasti, cui succenses tacenti. Nunc enim inter tot & tanta negotia, non tua, sed publica, id est, omnium, non solum onerosas non esse, verum etiam gratas esse posse literas meas credidi benevolentiae tuæ, quàm excellentiam vincis. Cum enim accepissem mihi à fratribus epistolam missam sancti & præcipuis meritis venerandi Papæ, Innocentii, quam per tuam Præstantiam ad me datam certis declaratur indicis; ideo nullam tuam paginam simul advectam esse putaveram, quòd scribendi & rescribendi curâ nolueris, gravioribus rebus occupatus, obstringi. Nam utiq; consentaneum videbatur, ut, qui mihi sancti viri scripta* dignatus es, ea sumeres adjuncta cum tuis. Hinc ergo* statueram, non esse oneri literas meas animo tuo; nisi esset necesse commendandi alicujus gratiâ, cui hoc negare non possem, intercessionis officio, quæ solet nostra esse omnibus concedendi consuetudo, & quædam etiam importuna, non tamen improbanda, professio. Itaque feci. Nam amicum meum! commendavi Benignitati tuæ, à quo etiam sua rescripta jam sumsi, agente gratias, quas & ipse ago. Si quid autem de te mali existimarem, præsertim in ea causa, quam, etiam non expressam, tamen mihi tua epistola redolebat, absit, ut ad te tale aliquid scriberem, ubi ullum, vel mihi, vel cuiquam, beneficium postularem! Aut enim conticescerem, observans tempus, ubi te possem habere præsentem, aut literis non agendum putarem. Illud potius agerem, & sic agerem, ut dolorem manifestare vix posses.

Nam ideo post illius impiam crudelem quæ perfidiam, cui etiam per tuam nobiscum participatam sollicitudinem frustra vehementer institimus, ne illo cor nostrum dolore percelleret, suam verò conscientiam tanto scelere trucidaret, continuo sum à Carthagine profectus, occultato abscessu meo, ne tot, ac tanti, qui ejus intra ecclesiam gladium formidabant, violentis fletibus & gemitibus me tenerent, putantes, me-

am

* Videtur
deesse: r
mittere
* forte: stat.
esse